

**Publication/Creation**

1949


**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ve98h65j>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Gracile, &amp; longum collum.

**Q**UI habet collum gracile, & longum, est sonorus, & stolidus, ut habetur ex Aristotele ad Alexandrum: hunc ad aues comparat, quæ garrulæ, vanæ, & mobiles sunt. In Physiognomonicis verò collum oblongum, & gracile timidos dicit, & ad coruos refert. Polemon, & Adamantius. Collum oblongius, graciliusque timidiore, & malorum morum demonstrat. Idemque in figura timidi, prælongum ei collum ascribunt. Rhases utrunque coniunxit. Gracile, & longum collum, timidum garrulum, & stolidum ostendit: quod ex Alberto excepit, sic & Conciliator Suetonius C. Caligulam gracilitate maxima fuisse ceruicis, & crurum dixit, erat enim nimium pauidus, & vitiosus, & aduersus Barbaros cum trans Rhenum iter faceret, dicente quodam non mediocrem fore consternationem, equum conscendit, & moræ impatiens aufugit.

Medium inter longum, &amp; crassum collum.

**Q**UIBUS magnum, sed non valde carnosum collum, magnanimi censentur, quod leones representent, & in principio, ubi leonis formam describit, ait leonem collum habere oblongum, crassum, & moderatum, idest inter longitudinem, & crassitiem medium. Ubi legitur *παχὺν καὶ μέτρον*, reponendum *παχὺν καὶ μετρώδες*, ne sibi contrarius videatur, idem Aristoteles in Physiognomonicis. In figura fortis meminit colli firmi, & non valde carnosum. Polemon, & Adamantius. Collum crassitie, & longitudine moderatum, compactius, & robustum, fortes, dociles, & ad disciplinas idoneus ostendit. Galenus in arte medicinali. Collum immediate à cerebro ex capite oritur, unde gracile, & male compositum pessimum, sicut crassum, & bene compositum signum est optimum ad omnia, cum bonitas suum principium sequatur. Conciliator. Vasta ceruix cum quadam prolixitate non valde carnosam, fortis denotat, & animosum. Hæc ceruix est, quam torosam, & compactam dicimus Virgilius.